

M. T. CICERONIS
DE DIVINATIONE
LIBER PRIMUS.

I. VETUS opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et populi romani et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines divinationem, quam Græci *μαντικὴν* appellant, id est, præsentionem et scientiam rerum futurarum. Magnifica quidem res, et salutaris, si modo est ulla; ¹ quaque proxime ad deorum vim natura mortalis possit accedere. Itaque ut alia nos melius multa, quam Græci, sic huic præstantissimæ rei nomen nostri a divīs, Græci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque barbaram, quæ non significari futura, et a quibusdam intelligi prædicique posse censeat. Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudi-

¹ Sic jam edidit P. Marsus, et habent multi mss. Al. quaque proxima. natura mortali p. acc.

nemque regionum, quas incolabant, quum cælum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum ¹ observaverunt; quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset. Eandem artem etiam Ægyptii longinquitate temporum innumerabilibus pæne sæculis consecuti putantur. Cilicum autem, et Pisidarum gens, et his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuissemus ipsi, volatibus avium cantibusque, ut certissimis signis, declarari res futuras putant. Quam vero Græcia coloniam misit in ² Eoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiani, sine Pythio, aut Dodonæo, aut Hammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est?

II. Nec unum genus est divinationis publice privatimque celebratum. Nam, ut omittam ceteros populos, noster quam multa genera complexus est? Principio, hujus urbis parens, Romulus, non solum auspicio urbem condidisse, sed ipse etiam

¹ Multi mss. observaverunt, ut infra, cap. 45. Vox nuspiam usurpata. ² Recte sic Turnebus emendavit, quum vulgo male legeretur, Etoliam.

optimus augur fuisse traditur. Deinde auguribus et reliqui reges usi; et exactis regibus, nihil publice sine auspiciis nec domi, nec militiae gerebatur. Quumque magna ¹ vis videretur esse et in impetrandis consulendisque rebus, et in monstris interpretandis ac procurandis in aruspicum disciplina; omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur. Et, quum duobus modis animi, sine ratione et scientia, motu ipsi suo, soluto et libero, ² incitarentur; uno furente, altero somniante: furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos e civitate esse voluerunt. Ex quo genere sæpe hariolorum etiam et vatum furibundas prædictiones, ut Octaviano bello, Cornelii Calleoli, audiendas putaverunt. Nec vero somnia graviora, si quæ ad rempublicam pertinere visa sunt, a summo consilio neglecta sunt. Quin etiam memoria nostra templum Junonis Sospitæ L. Julius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Cæciliæ, Balearici filia, somnio.

III. Atque hæc, ut ego arbitror, veteres, rerum

¹ Herelius (*Magazin für Philologen*, p. 129) conj. crederetur, quia statim recurrit videretur. Deinde Manut. conj. impetriedis. ² Herel. conj. incitentur.

magis eventis moniti, quam ratione ¹ docti, probaverunt. Philosophorum vero exquisita quadam argumenta, cur esset ² vera divinatio, collecta sunt. E quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes, præter Epicurum, balbutientem de natura deorum, divinationem probaverunt; sed non uno modo. Nam quum Socrates, omnesque Socratici, Zenoque, et hi, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, veterere academia et peripateticis consentientibus; quumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras jam ante tribuisset, qui etiam ipse augur vellet esse, plurimisque locis gravis auctor Democritus præensionem rerum futurarum comprobaret: Dicæarchus peripateticus cetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit; Cratippusque familiaris noster, quem ego parem summis peripateticis judico, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera rejecit. Sed quum stoici omnia fere illa defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quadam sparsisset, et ea Cleanthes paullo uberiora fecisset:

¹ Rath. conj. edocti, ut *Tuscul.*, V, 26. ² Vocem hanc, vera, Ernest. et Hottinger. suspectam habent. Forte rectius, vere.

accessit acerrimo vir ingenio Chrysisippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno præterea de oraculis, uno de somniis; quem subsequens, unum librum Babylonius Diogenes edidit, ejus auditor; duo Antipater; quinque noster Posidonius. Sed a stoicis, vel ¹ princeps ejus disciplinæ, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panætius: nec tamen ausus est negare, vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re, invitissimis stoicis, stoico facere licuit, id, nos ut in reliquis rebus faciamus, a stoicis non concedetur? præsertim quum id, de quo Panætio non liquet, reliquis ejusdem disciplinæ solis luce videatur clarius. Sed hæc quidem laus academix præstantissimi philosophi judicio et testimonio comprobata est.

IV. Etenim nobismet ipsis quærentibus, quid sit de divinatione judicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra stoicos disputata sint, verentibusque, ne temere vel falsæ rei, vel non satis cognitæ, assentiamur: faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in his tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. Nam quum omnibus rebus temeritas in assentiendo errorque

¹ Principibus.

turpis est, tum in eo loco maxime, in quo judicandum est, quantum auspiciis, rebusque divinis, religionique tribuamus; est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut, susceptis, anili superstitione obligemur.

V. Quibus de rebus et alias sæpe, et paullo accuratius nuper, quum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. Nam quum ambulandi causa in Lycæum venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est): Perlegi, ille inquit, tum paullo ante tertium de natura deorum; in quo disputatio Cottæ, quanquam labefactavit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. — Optime vero, inquam. Etenim ipse Cotta sic disputat, ut stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum delet religionem. — Tum Quintus, Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta, et vero sæpius: credo, ¹ ne communia jura migrare videatur; sed studio contra stoicos disserendi deos mihi videtur funditus tollere. Ejus orationi, non sâne desidero, ² quod respondeam; satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio; ejus disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est visa propensior. Quod prætermissum est in illis

¹ *Emendationem Turnebi Gruterus et Davis. receperunt, mss. plurium auctoritate confirmatam. Olim, ne communi jure.* ² Quid.

libris, credo, quia commodius arbitratus es, separatim id quæri, deque eo disseri, id est, de divinatione, quæ est earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio atque præsensio, id, si placet, videamus, quam habeat vim, et quale sit. Ego enim sic existimo: si sint ea genera divinandi vera, de quibus accepimus, quæque colimus, esse deos; vicissimque, si dii sint, esse, qui divinent.

VI. — Arcem tu quidem stoicorum, inquam, Quinte, defendis, si quidem ista sic recipiuntur, ut et, si divinatio sit, dii sint, et, si dii sint, sit divinatio. Quorum neutrum tam facile, quam tu arbitraris, conceditur. Nam et natura significari futura sine deo possunt; et, ut sint dii, potest fieri, ut nulla ab iis divinatio generi humano tributa sit. — Atque ille, Mihi vero, inquit, satis est argumenti, et esse deos, et eos consulere rebus humanis, quod esse clara et perspicua divinationis genera iudico. De quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermone prævertendum putes. — Ego vero, inquam, philosophiæ, Quinte, semper vaco. Hoc autem tempore, quum sit nihil aliud, quod libenter agere possim, multo magis aveo audire, de divinatione quid sentias.

— Nihil, inquit, equidem novi, nec quod præter ceteros ipse sentiam. Nam quum antiquissimam

sententiam, tum omnium populorum et gentium consensu comprobata sequor. Duo sunt enim divinandi genera; quorum alterum artis est, alterum naturæ. Quæ est autem gens, aut quæ civitas, quæ non aut extis pœcudum; aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium (ea enim fere artis sunt), aut sompiorum, aut vaticinationum (hæc enim duo naturalia putantur), prædictione moveatur? Quarum quidem rerum eventa magis, arbitror, quam causas quæri oportere. Est enim vis et natura quædam, quæ quum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura prænuntiat.

VII. Quare omittat urgere Carneades, quod faciebat etiam Panætius, requirens, Jupiterne cornicem a leva, corvum a dextra canere jussisset. Observata sunt hæc tempore immenso, et in significatione eventus animadversa et notata. Nihil est autem, quod longinquitas temporum, excipiente memoria, prodendisquæ monumentis, efficere atque assequi non possit. Mirari licet, quæ sint animadversa a medicis herbarum genera, quæ radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera: quorum vim atque naturam ratio nun-

1 Quod non. 2 Abest non.

quam explicavit, utilitate et ars est, et inventor probatus. Age, ea, quæ, quanquam ex alio genere sunt, tamen divinationi sunt similia, videamus.

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, quum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana, salis niveo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere voces;
Aut densus stridor quum celso e vertice montis
Ortus, adangescit scopulorum sæpe repulsus.

VIII. Atque his rerum præensionibus Prognostica tua referta sunt. Quis igitur elicere causas præensionum potest? etsi video Boethum stoicum esse conatum. Qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quæ in mari cœlove fierent. Illa vero cur eveniant, quis probabiliter dixerit?

¹ Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modico tremulo fundens e gutture cantus.
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, et assiduus jacit ore querelas,
Quum primum gelidos rores aurora remittit.
Fusæque nonnunquam cursans per littora cornix
Demersit caput, et fluctum cervice recepit.

¹ Vid. Georg., I, 360. Al. Rava fulix.

IX. Videmus hæc signa nunquam fere eminentia; nec tamen, cur ita fiat, videmus.

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae,
Quum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes et stagna cietis.

Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest in rivis et ranunculis natura quædam significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.

Mollipedesque boves, spectantes lumina cæli,
Naribus humiferum duxere ex aere succum.

Non quæro, cur; quoniam, quid eveniat, intelligo.

Jam vero semper viridis, semperque gravata
Lentiscus triplici solita grandescere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Nec hoc quidem quæro, cur hæc arbor una ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet. Hoc sum contentus, quod, etiam si,
² quomodo quidque fiat, ignorem, quid fiat, intelligo. Pro omni igitur divinatione idem, quod pro iis rebus, quas commemoravi, respondebo.

¹ Quo.

X. Quid scammonæ radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit, quæ nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio, video, quod satis est; cur possit, nescio. Sic ventorum et imbrium signa, quæ dixi, rationem quam habeant, non satis perspicio; vim et eventum agnosco, scio, approbo. Similiter, quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio; quæ causa sit, nescio. Atque horum quidem plena vita est: extis enim omnes fere utuntur. Quid, de fulgurum vi dubitare num possumus? Nonne quum multa alia mirabilia, tum illud in primis? quum Summanus in fastigio Jovis optimi maximi, qui tum erat fictilis, e cælo ictus esset, nec usquam ejus simulacri caput inveniretur, aruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt, idque inventum est eo loco, qui ¹ esset ab aruspicipibus demonstratus.

XI. Sed quo potius utar aut auctore, aut teste, quam te? cujus edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in ² secundo Consulatus Urania musa pronuntiat:

Principio ætherio flammatus Jupiter igni
Vertitur, et totum collustrat lumine mundum,
Menteque divina cælum terrasque petessit;

¹ Est. ² *Vulg. male*, in secundo consulatu.

Quæ penitus sensus hominum vitasque retentat,
Ætheris æterni septa, atque inclusa cavernis.
Et, si stellarum motus, cursusque vagantes
Nosse velis, quæ sint signorum in sede locatæ,
Quæ verbo et falsis Graiorum vocibus errant,
Re vera certo lapsu spatioque feruntur:
Omnia jam cernes divina mente notata.
Nam primum astrorum volucres, te consule, motus,
Concursusque graves stellarum ardore micantes
Tu quoque, quum tumulos Albano in monte nivales
Lustrasti, et læto mactasti lacte Latinas,
Vidisti, et claro tremulos ardore cometas,
Multaque misceri nocturna strage putasti:
Quod ferme dirum in tempus ¹ cecidere Latinae;
Quum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit, et subito stellanti nocte peremta est.
Quid vero Phebi fax, tristis nuntia belli,
Quæ magnum ad columnam flammato ardore volabat,
Præcipientes cæli partes, obitusque petisset?
Aut quum terribili ² percussus fulmine civis,
Luce serenanti, vitalia lumina liquit?
Aut quum se gravido tremefecit corpore tellus?
Jam vero variæ nocturno tempore visæ
Terribiles formæ, bellum motusque monebant;
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant, tristes minitantiæ casus;
Atque ea, quæ lapsu tandem cecidere vetusto,

¹ Cecinere. ² *Hottinger putat legendum omnino*, percussus. *Idem supra*, petissens.

Hæc fore, perpetuis signis, clarisque frequentans
Ipse deum genitor cœlo, terrisque canebat.

XII. Nunc ea, Torquato quæ quondam, et consule Cotta

Lydius ediderat Tyrrenæ gentis aruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans, stellanti nixus Olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.

Tum species ex ære vetus, ¹ generataque Nattæ,
Concidit, elapsæque vetusto ² numine leges;
Et divum simulacra peremit fulminis ardor.

Hic silvestris erat, romani nominis altrix,
Martia, quæ parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:

Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulsa pedum vestigia liquit.

Tum quis non, artis scripta ac monumenta volutans,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?

Omnes ³ civili generosa stirpe profectam
Vitare ingentem cladem, pestemque monebant;
Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis, urbesque jubebant
Eripere, et stragem horribilem, cædemque vereri.
Atque hæc fixa gravi fato ac fundata teneri;

¹ Sic libri editi scriptique, nullo, ut videtur, sensu. Hottinger. admisit Mureti conjecturam, generosæque. ² Conjiciunt alii ærumine, alii e lumine, etc. ³ Hottinger. legit, civili generosa ab stirpe pr. Al. aliter.

Ni post, excelsum ad column formata decore,
Sancta Jovis species claros spectaret in ortus.
Tum fore, ut occultos populus, sanctusque senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conversa, inde patrum sedes, populique videret.

Hæc tardata diu species, multumque morata,
Consule te tandem clara est in sede locata.

Atque una fixi ac signati temporis hora
Jupiter excelsa clarabat sceptrâ columna;

¹ At clades patriæ, flamma ferroque parata,
Vocibus Allobrogum patribus, populoque patebat.

XIII. Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos urbesque modo ac virtute regebant;

Rite etiam vestri, quorum pietasque fidesque
Præstitit, et longe vicit sapientia cunctos,

Præcipue coluere vigenti numine divos.
Hæc adeo penitus cura videre sagaci,

Otia qui studiis læti tenuere decoris,
Inque academia umbrifera, nitidoque lyæo

Fuderunt claras fecundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo jam a flore juventæ,

Te patria in media virtutum mole locavit:
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,

Quod patriæ vocis studiis nobisque sacrasti.

Tu igitur animum poteris inducere contra ea, quæ
a me disputantur de divinatione, dicere, qui et
gesseris ea, quæ gessisti, et ea, quæ pronuntiavi,

¹ Legendum, ut Hottinger. vidit, Et cl.

accuratissime scripseris? Quid? quæris, ¹ Carneades, cur hæc ita fiant, aut qua arte ² perspici possint? Nescire me fateor; evenire autem, te ipsum dico videre. Casu, inquis. Itane vero? quidquam potest casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? Quatuor tali jacti casu venereum efficiunt. Num etiam centum venereos, si cccc talos jeceris, casu futuros putas? Adpersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt; num etiam Veneris Coæ pulchritudinem effingi posse adpersione fortuita putas? Sus rostro si ³ humi A litteram impresserit, num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennii ab ea posse describi? Fingebat Carneades, in Cbiorum lapicidinis saxo diffisso caput extitisse Panisci. Credo aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam factam a Scopâ diceres. Sic enim se profecto res habet, ut nunquam perfecte veritatem casus imitetur.

XIV. At nonnunquam ea, quæ prædicta sunt, minus eveniunt. Quæ tandem id ars non habet? earum dico artium, quæ conjectura continentur, et sunt opinabiles. An medicina, ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. Quid? gubernatores

¹ Forte, ut Carneades. ² Ed. Venet. 1494, perfici, quod Ernest. reduxit. ³ Rath. malebat humo.

nonne falluntur? an Achivorum exercitus, et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio,

Ut profectione læti piscium lasciviam

Intuerentur (ut ait Pacuvius), nec tuendi satietas capere posset?

Interea prope jam occidente sole inhorrescit mare, Tenebræ conduplicantur, noctisque et nimbum occæcat nigror.

Num igitur tot clarissimorum ducum regumque naufragium sustulit artem gubernandi? Aut num imperatorum scientia nihil est, quia summus imperator nuper fugit, amisso exercitu? Aut num propterea nulla est reipublicæ gerendæ ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quædam M. Catonem, nonnulla etiam te ipsum fefellerunt? Similis est aruspicum responsio, omnisque opinabilis divinatio. Conjectura enim nititur, ultra quam progredi non potest. Ea fallit fortasse nonnunquam; sed tamen ad veritatem sæpissime dirigit. Est enim ab omni æternitate repetita; in qua quum pæne ¹ innumerabiliter res eodem modo evenirent iisdem signis antegressis, ars est effecta, eadem sæpe animadvertendo ac notando.

XV. Auspicia vero vestra quam constant? quæ

¹ Innumerabiles res.

quidem nunc a romanis anguribus ignorantur (bona hoc tua venia dixerim); a Cilicibus, Pamphylis, Pisidis, Lyciis tenentur. Nam quid ego hospitem nostrum, clarissimum atque optimum virum, Dejotarum regem, commemorem? qui nihil unquam nisi auspicio gerit: qui, quam ex itinere quodam proposito et constituto revertisset, aquilæ admonitus volatu; conclave illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corrui. Itaque, ut ex ipso audiebam, persæpe revertit ex itinere, quam jam progressus esset multorum dierum viam. Cujus quidem hoc præclarissimum est, quod, posteaquam a Cæsare ¹ tetrarchia, regno, pecuniaque multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum, quæ sibi ad Pompeium proficiscenti secunda evenerint, penitere. Senatus enim auctoritatem, et populi romani libertatem, atque imperii dignitatem suis armis esse defensam; sibi que eas aves, quibus auctoribus officium et fidem secutus esset, bene consuluisse. Antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. Ille mihi videtur igitur vere augurari. Nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis. Necesse enim est, offa objecta, cadere frustum ex pulli ore, quam pascitur.

¹ Olim tetrarchiæ regno. Sed correctionem Cicero ipse infra probare videtur, II, 37.

Quod autem scriptum habetis, ¹ aut tripudium fieri, si ex ea quid in ² solum ceciderit: hoc quoque, quod dixi, coactum, tripudium solistimum dicitis. Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegii amissa plane et deserta sunt.

XVI. Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicio, ne privatim quidem, gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui, re ommissa, nomen tantum tenent. Nam ut nunc extis (quamquam id ipsum aliquanto minus, quam olim), sic tum avibus magnæ res impetrari solebant. Itaque, sinistra dum non exquirimus, in dira et in vitiosa incurrimus. Ut P. Claudius; Appii Cæci filius, ejusque collega, L. Junius, classes maximas perdidērunt, quam vitio navigassent. Quod eodem modo evenit Agamemnoni; qui, quam Achivi cõpissent

Inter se strepere, aperteque artem obterere extispicum, Solvere imperat secundo rumore, adversaque avi.

Sed quid vetera? M. Crasso quid acciderit, videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. In quo Ap-

¹ Davis. correxit hinc; Ernest. malit deleri aut. ² Ita emendarunt Manutius et Lambinus, eamque lectionem in ms. Eliensi inventam recepit Davis., et post eum Ernest. Fulg. solidum.

pius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter virum bonum, et civem egregium censor C. Ateium notavit, quod ementitum auspicia subscripserit. Esto: fuerit hoc censoris, si iudicabat ementitum. At illud minime auguris, quod adscripsit, ob eam causam populum romanum calamitatem maximam cepisse. Si enim ea causa calamitatis fuit, non in eo est culpa, qui obnuntiavit, sed in eo, qui non paruit. Veram enim fuisse obnuntiationem, ut ait idem augur et censor, exitus approbavit; quæ si falsa ¹ fuisset, nullam afferre ² potuisset causam calamitatis. Et enim ³ diræ, sicut cetera auspicia, ut omina, ut signa, non causas afferunt, cur quid eveniat, sed nuntiant ⁴ ventura, nisi provideris. Non igitur obnuntiatio Ateii causam finxit calamitatis, sed signo objecto monuit Crassum, quid eventurum esset, nisi cavisset. Ita aut illa obnuntiatio nihil valuit; aut si, ut Appius iudicat, valuit, id valuit, ut peccatum ⁵ hæreat non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperavit.

XVII. Quid? lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum, quum

¹ Fuisset. ² Potuissent. ³ Diræ. ⁴ Eventura. ⁵ Ernest. hæretet. Frustra.

urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus (¹ id est, incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit), quum situs esset in curia Saliorum, quæ est in Palatio, eaque deflagrasset, inventus est integer. Quid? multis annis post Romulum, Prisco regnante Tarquinio, quis veterum scriptorum non loquitur, quæ sit ab Attio Navio per lituum regionum facta descriptio? qui quum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex his amissa, vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se deo daturum, quæ maxima esset in vinea. Itaque, sue inventa, ad meridiem spectans in vinea media dicitur constitisse; quumque in quatuor partes vineam divisisset, tresque partes aves abdidissent, quarta parte, ² quæ erat reliqua in regione distributa, mirabili magnitudine uvam, ut scriptum videmus, invenit. Qua re celebrata, quum vicini omnes ad unum de rebus suis referrent, erat in magno nomine et gloria. Ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus arcesseret. Cujus quum tentaret scientiam auguratus, dixit ei, cogitare se quiddam; id possetne fieri, consuluit. Ille, augurio acto, posse, respondit. Tarquinius autem dixit,

¹ Hæc, id est—invenit, fere omnes habent pro glossemate. ² Davisius conjicit, quæ erat reliqua, in regiones distributa. Ernest. repugnat.

se cogitasse, cotem novacula posse præcidi. Tum Attium jussisse experiri. Ita cotem, in comitium allatam, inspectante et rege et populo, novacula esse discissam. Ex eo evenit, ut et Tarquinius augure Attio Navio uteretur, et populus de suis rebus ad eum referret. Cotem autem illam et novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal accepimus. Negemus omnia; comburamus annales; ficta hæc esse dicamus; quidvis denique potius, quam deos res humanas curare, fateamur. Quid? ¹ quod apud te scriptum est de Tib. Graccho, nonne et augurum et aruspicum comprobatur disciplinam? qui quum tabernaculum vitio cepisset imprudens, quod inauspicato pomerium transgressus esset, comitia consulibus rogandis habuit. Nota res est, et a te ipso mandata monumentis. Sed et ipse augur Tib. Gracchus auspiciorum auctoritatem confessione errati sui comprobavit, et aruspicum disciplinæ magna accessit auctoritas, qui recentibus comitiis in senatum introducti, ² negaverunt, justum comitiorum rogatorem fuisse.

XVIII. His igitur assentior, qui duo genera divinationum esse dixerunt: unum, quod particeps esset artis; alterum, quod arte careret. Est enim ars in

¹ *Davisius e mss.*, quod scriptum apud te est. ² *Ernest. malit negaverant. Sine causa.*

iis, qui novas res conjectura persequuntur, veteres observatione didicerunt. Carent autem arte ii, qui, non ratione aut conjectura observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluto liberoque motu futura præsentiant (quod et somniantibus sæpe contingit, et nonnunquam vaticinantibus per furorem): ut Bacis Bœotius, ut Epimenides Cres, ut Sibylla Erythræa. Cujus generis oracula etiam habenda sunt, non ea, quæ æquat's sortibus ducuntur, sed illa, quæ instinctu divino afflatuque funduntur. Etsi ipsa sors contemnenda non est, si et auctoritatem habet vetustatis, ut ea sunt sortes, quas e terra editas accepimus: quæ tamen ductæ ut in rem apte cadant, fieri credo posse divinitus. Quorum omnium interpretes, ut grammatici poetarum, proxime ad eorum, quos interpretantur, divinationem videntur accedere. Quæ est igitur ista calliditas, res vetustate robustas calumniando velle pervertere? Non reperio causam. Latet fortasse obscuritate involuta naturæ. Non enim me deus ista scire, sed his tantummodo uti voluit. Utar igitur, nec ¹ adducar, ut rear, aut in extis totam Etruriam delirare, aut eandem gentem in fulguribus errare, aut fallaciter portenta interpretari, quum terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus,

¹ Abducatur.

sæpe motus multa nostræ reipublicæ, multa ceteris civitatibus gravia et vera prædixerint. Quid? qui irridetur, partus hic mulæ, nonne, quia fetus exstitit in sterilitate naturæ, prædictus est ab aruspibus incredibilis partus malorum? Quid? Tib. Gracchus, P. F., qui bis consul et censor fuit, idemque et summus augur, et vir sapiens, civisque præstans, nonne (ut C. Gracchus, filius ejus, scriptum reliquit) duobus anguibus dõmi comprehensis, aruspices convocavit? qui quum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum; si feminam, ipsi: æquius esse censuit, se maturam oppetere mortem, quam P. Africani filiam adolescentem. Feminam emisit; ipse paucis post diebus est mortuus.

XIX. Irrideamus aruspices; vanos, futes esse dicamus; quorumque disciplinam et sapientissimus vir, et eventus, ac res comprobavit, contemnamus; contemnuamus etiam Babylonios, ¹ et eos, qui e Caucasio cæli signa servantes, ² numeris et motibus stellarum cursus persequuntur; condemnemus, inquam, hos aut stultitiæ, aut vanitatis, aut imprudentiæ, qui cccc LXX millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, et

¹ Hottinger. *delevit copulam, legitque*, Babylonios eos. ² *Davisius emendat*, numeris stellarum cursus et motus persequuntur. Sic *ferè infra*, II, 6.

mentiri judicemus, nec sæculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere. Age, barbari vani, atque fallaces: num etiam Graiorum historia mentita est? Quæ Cræso Pythius Apollo, ut de naturali divinatione dicam, quæ Atheniensibus, quæ Lacedæmoniis, quæ Tegeatis, quæ Argivis, quæ Corinthiis responderit, quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete auctore atque teste. Quæ quia nota tibi sunt, relinquo. Defendo unum hoc: nunquam illud oraculum Delphis tam celebre et tam clarum fuisset, neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum, nisi omnis ætas oraculorum illorum veritatem esset experta. Jamdiu idem non facit. Ut igitur nunc minore gloria est, quia minus oraculorum veritas excellit; sic tum, nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisset. Potest autem vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ divino afflatu concitabat, evanuisse vetustate, ut quosdam ¹ exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos et deflexos videmus. Sed, ut vis, acciderit; magna enim quæstio est: modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam perverterimus, multis sæculis verax fuisse id oraculum.

¹ Evanuisse et exaruisse.

XX. Sed omittamus oracula; veniamus ad somnia. De quibus disputans Chrysippus, multis, et minutis somniis colligendis facit idem, quod Antipater, ea conquiens, quæ Antiphontis interpretatione explicata, declarat illa quidem acumen interpretis, sed exemplis grandioribus decuit uti. Dionysii mater ejus, qui Syracusiorum tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, et doctum hominem, et diligentem, et æqualem temporum illorum, quum prægnans hunc ipsum Dionysium alvo contineret, somniavit se peperisse Satyriscum. Huic interpretes portentorum, qui Galeotæ tum in Sicilia nominabantur, responderunt (ut ait Philistus), eum, quem illa peperisset, clarissimum Græciæ diuturna cum fortuna fore. Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Græcorum poetarum? Narrat enim et apud Ennium Vestalis ¹ illa:

Excita quum tremulis anus attulit artubus lumen,
Talia commemorat lacrymans exterrita somno:
Eurydica prognata, pater quam noster amavit,
Vires, vitæque corpus meum nunc deserit omne.
Nam me visus homo pulcher per amœna salicta
Et ripas raptare, locosque novos. Ita sola
Postilla, germana soror, errare videbar,
Tarda que vestigare, et quærere te, neque posse

¹ Est qui conj. Iliæ. Est enim mater Romuli.

Corde capessere: semita nulla pedem stabilibat.
Exin compellare pater me voce videtur
His verbis: ¹ O gnata, tibi sunt ante ² gerendæ
Ærumnæ; post ex fluvio fortuna ³ resistet.
Hæc pater effatus, germana, repente recessit,
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus,
Quanquam multa manus ad cœli cœrula templa
Tendebam lacrymans, et blanda voce vocabam.
Vix ægro tum corde meo me somnu' reliquit.

XXI. Hæc, etiam si ficta sunt a poeta, non absunt tamen a consuetudine somniorum. Sit sane etiam illud commentitium, quo Priamus est conturbatus,

Quia mater gravida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Perculus, curis sumtus suspirantibus
Exsacrificabat hostiis balantibus.
Tum conjectorem postulat, pacem petens,
Ut se edoceret obsecrans Apollinem,
Quo sese vertant tante sortes somnium.
Ibi ex oraculo voce divina edidit
Apollo; puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus, temperaret tollere;
Eum esse exitium Trojæ, pestem Pergamo.

Sint hæc, ut dixi, somnia fabularum; hisque ad-

¹ Cognata. ² Gerenda. ³ Resistit.

jungatur etiam Æneæ somnium : quod in Numerii Fabii Pictoris Græcis annalibus ejusmodi est, ut omnia, quæ ab Æneæ gesta sunt, quæque illi acciderunt, ea fuerint, quæ ei secundum quietem visa sunt.

XXII. Sed propiora videamus. Cujusnam modi est Superbi Tarquinii somnium, de quo in Bruto Attii loquitur ipse?

Quum jam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos;
Visum est in somnis pastorem ad me appellere,
Dnos consanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Præclarioremque alterum immolare me;
Deinde ejus germanum cornibus connitier
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari;
Exin prostratum terra graviter saucium,
Resupinum, in caelo contueri maximum,
Ac mirificum facinus; dextrorsum orbem flammeum
Radiatum solis liquier cursu novo.

Ejus igitur somnia a conjectoribus quæ sit interpretatio facta, videamus :

Res, quæ in vita usurpant homines, cogitant, curant,
vident,

Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea si cui in somno
accidunt,

Minus mirum est; sed in re tanta haud temere improvise
offerunt.

Proin vide, ne, quem tu esse hebetem deputes æque ac
pecus,

Is sapientia munitum pectus egregium gerat,
Teque regno expellat. Nam id, quod de sole ostentum
est tibi,

Populo commutationem rerum portendit fore
¹ Perpropinquam : hæc bene verruncent populo. Nam
quod ad dexteram

Cepit cursum ab læva signum præpotens; pulcherrime
Auguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

XXIII. Age nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor et discipulus Platonis, visam esse videre in ² somnis simulacra deorum, quæ ³ ipse Phalaris domi consecravisset; ex his Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere; qui quum terram attigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. Quod matris somnium immanis filii crudelitas comprobavit. Quid ego, quæ magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dinonis Persicis libris profertur? Nam quum dormienti ei sol ad pedes visus

¹ Perpropinqua. ² Somniis. ³ Sic legunt multi pro vulg. ipsa. Rectius forte omittendum Phalaris, quod cod. Pitheæanus non habet.

esset, ter eum, scribit, frustra appetivisse manibus, quum se convolvens sol elaberetur, et abiret: ei magos dixisse (quod genus sapientum et doctorum habebatur in Persis), ex triplici appetitione solis, XXX annos Cyrum regnaturum esse, portendi. Quod ita contigit. Nam ad septuagesimum pervenit, quum XL natus annos regnare cœpisset. Est profecto quiddam etiam in barbaris gentibus præsentiens atque divinans: siquidem ad mortem proficiscens Calanus Indus, quum adscenderet in rogam ardentem, « O præclarum discessum, inquit, e vita! quum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit. » Quumque Alexander eum rogaret, si quid vellet, ut diceret: « Optime, inquit; propediem te videbo. » Quod ita contigit. Nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper a somniis; ad quæ mox revertar. Qua nocte templum Ephesiæ Dianæ deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum, atque, ubi lucere cœpisset, clamitasse magos, pestem ac perniciem Asiæ proxima nocte natam. Hæc de Indis et magis. Redeamus ad somnia.

XXIV. Hannibalem Cœlius scribit, quum columnam auream, quæ esset in fano Junonis Lacinæ, auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravisse;

quumque solidam invenisset, statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Junonem prædicere, ne id faceret, minarique, si id fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret; idque ab homine acuto non esse neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, bucnlam curasse faciendam, et eam in summa columna collocavisse. Hoc item in Sileni, quem Cœlius sequitur, Græca historia est; is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est: Hannibalem, quum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Jove in deorum concilium vocari; quo quum venisset, Jovem imperasse, ut Italiæ bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum; quo illum utentem, cum exercitu progredi cœpisse; tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret; illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse; tum visam belluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere; et eum admiratum quæsisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum; et denm respondisse, vastitatem esse Italiæ; præcepisseque, ut pergeret protinus; quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret. Apud Agathoclem scriptum in historia est, Hamilcarem Carthaginiensem, quum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem,

se postridie cœnaturum Syracusis; quum autem is dies illuxisset, magnam seditionem in castris ejus inter Pœnos et Siculos milites esse factam; quod quum sensissent Syracusani, improvise eos in castra irrupisse, Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnium comprobavit. Plena exemplorum est historia, tum referta vita communis. At vero P. Decius ille, Q. F., qui primus e Decii consul fuit, quum esset tribunus militum M. Valerio, A. Cornelio consulibus, a Samnitibus que premeretur noster exercitus, quum pericula præliorum iniret audacius, monereturque, ut cautior esset, dixit, quod exstat in annalibus: sibi in somnis visum esse, quum in mediis hostibus versaretur, occidere cum maxima gloria. Et tum quidem incolumis exercitum obsidione liberavit. Post triennium autem, quum consul esset, devovit se, et in aciem Latinorum irrupit armatus. Quo ejus facto superati sunt et deleti Latini: cujus mors ita gloriosa fuit, ut eandem concupisceret filius. Sed veniamus nunc, si placet, ad somnia philosophorum.

XXV. Est apud Platonem Socrates, quum esset in custodia publica, dicens Critoni, suo familiari, sibi post tertium diem esse moriendum; vidisse se in somnis pulchritudine eximia feminam, quæ se

nomine appellans diceret Homericum quemdam ejusmodi versum:

Tertia te Phthiæ tempestas lata locabit.

Quod ut est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus, qui vir et quantus? in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia; quorum eventus mirabiles exstiterunt. Mentiri Xenophontem, an delirare dicimus? Quid? singulari vir ingenio Aristoteles, et pane divino, ipse errat, an alios vult errare? quum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quæ erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur; in eo igitur oppido ita graviter ægrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderint; ei visum in quiete egregia facie juvenem dicere, fore, ut perbrevis convalesceret, paucisque diebus interiurum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinque annis post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim, scribit Aristoteles, consecuta; et convalescisse Eudemum; et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum; quinto autem anno

† Davis. conj. ista.

excunte, quum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, præstantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, quum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur. Adjungamus philosophis doctissimum hominem, poetam quidem divinum, Sophoclem: qui, quum ex æde Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. Quod semel ille, iterumque neglexit. Ubi idem sæpius, adscendit in Areopagum; detulit rem. Areopagite comprehendere jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is, quaestione adhibita, confessus est, pateramque retulit. Quo facto, famulum illud Indicis Herculis nominatum est.

XXVI. Sed quid ego Græcorum? Nescio, quo modo me magis nostra delectant. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Cælius. Quum bello Latino ludii votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque, ludis intermissis, instaurativi constituti sunt. Qui antequam fierent, quumque jam populus consedisset, servus per circum, quum virgis caderetur, furcam ferens ductus est. Exin quidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, ¹ præsu-

¹ *Al. præsulatorem, ut habet Valer. Max. I, 7, 4. Li-*

lem sibi non placuisse ludis, idque ab eodem jussum esse eum senatui nuntiare; illum non esse ausum. Iterum esse idem visum, et monitum, ne vim suam experiri vellet; ne tūm quidem esse ausum. Exin filium ejus esse mortuum; eandem in somnis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse; quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum, quumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis ¹ [salvum] domum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instauratos, memoriae proditum est. C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Cælium est, sibi in somnis quaesturam petenti Tib. fratrem visum esse dicere, quam vellet cunctaretur, tamen eodem sibi letho, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc antequam tribunus plebis C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Cælius, et dixisse ² multis. Quo somnio quid inveniri potest certius?

XXVII. Quid? illa duo somnia, quæ creberrime commemorantur a stoicis, quis tandem potest contemnere? Unum de Simonide: qui quum ignotum

vius, II, 36. præsulatorem. ¹ Alii mss. rejiciunt salvum, alii domum. Quæ vox magis utilis sententiæ videtur. Et sic Liv., pedibus suis domum rediisse.

² *Hottinger. conj. multos.*

quemdam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat; si navigasset, eum naufragio esse periturum; itaque Simonidem redisse; perisse ceteros, qui tum navigassent. Alterum ita ¹ traditum, clarum admodum somnium. Quum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse; ad hospitem, alterum. Qui ut cœnati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur; eum primo perterritum somnio surrexisse; dein quum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse; tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur; se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum; petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio eum commotum, mane hubulco præsto ad portam fuisse; quæsisse ex eo, quid esset in plastro; illum perterritum fugisse; mortuum erutum esse; cau-

¹ Hotting. conj. traditur. Male.

ponem, re patefacta, penas dedisse. Quid hoc somnio dici divinius potest?

XXVIII. Sed quid aut plura, aut vetera querimus? Sæpe tibi meum narravi; sæpe ex te audivi tuum somnium: Me, quum Asiae proconsul præessem, vidisse in quiete, quum tu equo advectus ad quamdam magni fluminis ripam, provectus subito, atque delapsus in flumen, nusquam apparuisses, me contremuisse, timore perterritum; tum te repente lætum exstitisse, eodemque equo adversam adscendisse ripam, nosque inter nos esse complexos. Facilis conjectura hujus somnii: mihi que a peritûs in Asia prædictum est, fore eos eventus rerum, qui acciderunt. Venio nunc ad tuum. Audivi equidem ex te ipso, sed mihi sæpius noster Sallustius narravit: quum in illa fuga, nobis gloriosa, patriæ calamitosa, in villa quadam campi Atinatis maneres, magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arcte et graviter dormire cœpisse. Itaque, quanquam iter instaret, ¹ te tamen silentium fieri jussisse, neque esse passum te excitari; quum autem expectatus esses hora secunda fere, te sibi somnium narravisse: visum tibi esse, quum in locis solis mœstus errares, C.

¹ F. A. Wolf. conjicit se; omnes Germani plaudunt: nos assensum sustinemus.

Marium cum fascibus laureatis quaerere ex te, quid tristis esses; quumque tu te tua patria vi pulsum esse dixisses,prehendisse eum dextram tuam, et bono animo te jussisse esse, lictorique proximo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret; et dixisse, in eo tibi salutem fore. Tum et se exclamasse, Sallustius narrat, reditum tibi celerem et gloriosum paratum, et te ipsum visum somnio delectari. Nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est, ut audivisses, in monumento Marii de tuo reditu magnificentissimum illud senatusconsultum esse factum, referente optimo et clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro, incredibili clamore et plausu comprobatum; dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

XXIX. At multa falsa. Imo obscura fortasse nobis. Sed sint falsa quaedam; contra vera quid dicimus? quæ quidem multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus. Nunc, onusti cibo et vino, perturbata et confusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. ¹ Dicit enim, « Quum dormientibus ea pars animi, quæ mentis et rationis sit particeps, sopita langueat; illa au-

¹ De Republica, ix, 1, ed. Stephan., t. II, p. 571; ed. Ast. Lips. 1814, pag. 258: ὅταν τὸ μὲν ἄλλο τῆς ψυχῆς εὐδῆ, ὅσον λογιστικὸν, κ. τ. λ.

« tem, in qua feritas quædam sit, atque agrestis
 « immanitas, quum sit immoderato obstupefacta
 « potu atque pastu, exsultare eam in somno im-
 « moderateque jactari. Itaque huic omnia visa ob-
 « jiciuntur, a mente ac ratione vacua: ut aut cum
 « matre corpus miscere ¹ videatur, aut cum quovis
 « alio vel homine, vel deo, sæpe bellua; atque
 « etiam trucidare aliquem, et impie cruentari,
 « multaque facere impure atque tetre, cum teme-
 « ritate et impudentia. At qui salubri et moderato
 « cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte
 « animi, quæ mentis et consilii est, agitata et erec-
 « ta, saturataque honorum cogitationum epulis;
 « eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec
 « inopia enecta, nec satietate affluenti (quorum
 « utrumque præstringere aciem mentis solet, sive
 « deest naturæ quippiam, sive abundat atque af-
 « fluit); illa etiam tertia parte animi, in qua irarum
 « existit ardor, sedata atque restincta: tum eve-
 « nict, duabus animi temerariis partibus compres-
 « sis, ut illa tertia pars rationis et mentis luceat,
 « et se vegetam ad somniamdum, acremque præ-
 « beat; tum et visa quietis occurrent tranquilla
 « atque veracia.» Hæc verba ipsa Platonis expressi.
 XXX. Epicurum igitur audiemus potius? nam-

¹ Videamur.

que Carneades concertationis studio, modo ait hoc, modo illud. At ille quid sentit? Sentit autem nihil unquam elegans, nihil decorum. Hunc ergo antepones Platoni et Socrati? qui ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent. Jubet igitur Plato, sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam in cibis, tranquillitati mentis, ¹ quærentis vera, contrariam. Quum ergo est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prævidet. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui; viget autem et vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, quum omnino corpore excesserit. Itaque appropinquante morte multo est divinior. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum; tumque vel maxime laudi student; eosque qui secus, quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maxime pœnitent. Divinare autem morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo af-

¹ Quærenti.

fert, Rhodium quemdam morientem sex æquales nominasse, et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus esset. Sed tribus modis censet deorum appulsu homines somnare: uno, quod prævideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur; altero, quod plenus aer sit immortalium animorum, in quibus tanquam insignitæ notæ veritatis appareant; tertio, quod ipsi dii cum dormientibus colloquantur. Idque, ut modo dixi, facilius evenit appropinquante morte, ut animi futura augurentur. Ex quo et illud est Calani, de quo ante dixi, et Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat ¹.

Neque enim illud verbum temere consuetudo approbavisset, si ea res nulla esset omnino:

² Præsigibat animus, frustra me ire, quum exirem domo.

Sagire enim, sentire acute est: ex quo sagæ anus, quia multa scire volunt; et sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur præsigire, id est, futura ante sentire.

XXXI. Inest igitur in animis præsigitio extrinsecus injecta, atque inclusa divinitus. Ea si exarsit

¹ *Iliad.*, xxii, 358. ² *Plaut. Aulular.*, II, 2, 1.

aerius, furor appellatur, quum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur.

Sed quid oculis rabere visa est repente ardentibus?

Ubi illa paullo ante sapiens, virginali modestia?

— Mater optima, tum multo mulier melior mulierum,
Missa sum superstitiosis hariolationibus;

¹ Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.
Virgines vero aequales, patris mei, meum factum pudet,
Optumi viri; mea mater, tui me miseret, mei piget.
Optumam progeniem Priamo reperisti extra me: hoc dolet,
Me obesse, illos prodesse; me obstare, illos obsequi.

O poema tenerum, et moratum, atque molle! sed
hoc minus ad rem. Illud, quod volumus, expres-
sum est, ut vaticinari furor vera soleat:

Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio;
Multos annos latuit. Cives, ² ferte opem, et restinguite.

Deus inclusus corpore humano jam, non Cassan-
dra loquitur:

³ Jamque mari magno classis cita
Texitur; exitium examen rapit;
Advenit, et fera velivolantibus
Navibu' ⁴ complevit manu littora.

¹ Legendum Numque, ut Hottinger. vidit. ² Referte.
³ Vid. Orator. c. 46. ⁴ Herelius jubet legere com-
plebit. Male. Schütz paruit.

XXXII. Tragedias loqui videor, et fabulas. At
ex te ipso non commentitiam rem, sed factam,
ejusdem generis audivi: C. Coponium ad te ve-
nisse Dyrrhachio, quum pratorio imperio classi
Rhodiae praesesset, cum primis hominem pruden-
tem atque doctum; eumque dixisse, remigem
quemdam e quinqueremi Rhodiorum vaticinatum,
madefactum iri minus xxx diebus Graciam san-
guine; rapinas Dyrrhachii, et conscensionem in
naves cum fuga; fugientibusque miserabilem re-
spectum incendiorum fore; sed Rhodiorum classi
propinquum reditum ac domum itionem dari:
tum neque te ipsum non esse commotum; Mar-
cumque Varronem, et M. Catonem, qui tum ibi
erant, doctos homines, vehementer esse perterri-
tos: paucis sane post diebus ex Pharsalica fuga
venisse Labienum, qui quum interitum exercitus
nuntiavisset, reliqua vaticinationis brevi esse con-
fecta. Nam et ex horreis ¹ direptum effusumque
frumentum vias omnes angiportusque constrave-
rat; et naves subito perterriti metu conscendistis;
et noctu ad oppidum respicientes, flagrantem one-
rarias, quas incenderant milites, quia sequi nolue-
rant, videbatis; postremo a Rhodia classe deserti,
verum vatem fuisse sensitis.

¹ Malim ego, dereptum.

Expositi, quam brevissime potui, somnii, et furoris oracula, quæ carere arte dixeram. Quorum amborum generum una ratio est, qua Cratippus noster uti solet: animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos et haustos. Ex quo intelligitur, esse extra divinum animum, humanus unde ducatur; humani autem animi eam partem, quæ sensum, quæ motum, quæ appetitum habeat, non esse ab actione corporis sejugatam; quæ autem pars animi, rationis atque intelligentiæ sit participes, eam tum maxime vigere, quum plurimum absit a corpore. Itaque expositis exemplis verarum vaticinationum et somniorum, Cratippus solet rationem concludere hoc modo: Si sine oculis non potest exstare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret; is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest et officium et munus divinationis exstare; potest autem quis, quum divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere: satis est ad confirmandam divinationem, semel aliquid esse ita divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur. Sunt autem ejus generis innumerabilia: esse igitur divinationem, confitendum est.

XXXIII. Quæ vero aut conjectura explicantur,

aut eventis animæ diversa et notata sunt, ea genera divinandi, ut supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur. In quo aruspices, augures; conjectoresque numerantur. Hæc improbantur a peripateticis; a stoicis defendantur. Quorum alia sunt posita in monumentis et disciplina; quod Etruscorum declarant et aruspicipi, et fulgurales, et ¹ tonitruales libri, nostri etiam augurales: alia autem subito ex tempore conjectura explicantur, ut apud Homerum ² Calchas, qui ex passerum numero belli Trojani annos auguratus est; et ut in ³ Sisennæ scriptum historia videmus, quod, te inspectante, factum est, ut, quum Sulla in agro Nolano immolaret ante prætorium, ab infima ara subito anguis emergeret, quum quidem C. Postumius aruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret: ⁴ id quum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam ⁵ florentissima Samnitium castra cepit. Facta conjectura etiam in Dionysio est paullo ante, quam regnare cepit: qui quum per agrum Leontinum iter faciens, equum ipse demisset in flumen, submersus equus voraginibus, non existit; quem quum maxima contentione non potuis-

¹ Rituales. ² *Iliad.*, II, 299. ³ *Ernest. post Grut. et Davis. maluit Sullæ; ac dein, quum ille.* ⁴ *Ego libentius legerim, quod quum Sulla fecisset.* ⁵ *Hottinger. e Valer. Max., I, 6, 4, corrigiit, fortissima.*

set extrahere, discessit, ut ait Philistus, ægre ferens. Quum autem aliquantulum progressus esset, subito exaudivit hinnitum, respexitque, et equum alacrem lætus adspexit, cujus in juba examen apum considerat. Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare cœperit.

XXXIV. Quid? Lacedæmoniis, paullo ante Leucetricam calamitatem, quæ significatio facta est, quum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit? At eodem tempore Thebis, ut ait Callisthenes, in templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt; armaque, quæ fixa in parietibus fuerant, ea sunt humi inventa. Quumque eodem tempore apud Lebadium Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere cœpisse, ut nihil intermitterent; tum augures dixisse Boeotios, Thebanorum esse victoriam, propterea quod avis illa victa silere solet, canere, si vicisset. Eademque tempestate multis signis Lacedæmoniis Leucetricæ pugnæ calamitas denuntiabatur. Namque et Lysandri, qui Lacedæmoniorum clarissimus fuerat, statuæ, quæ Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus; stellæque aureæ, quæ Delphis erant a Lacedæmoniis positæ post navalem illam victoriam Lysandri, quæ Athenienses conciderunt (qua in pugna quia

Castor et Pollux cum Lacedæmoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellæ aureæ, quas dixi, Delphis positæ); paullo ante Leucetricam pugnam deciderunt, neque repertæ sunt. Maximum vero illud portentum iisdem Spartiatis fuit, quod, quum oraculum ab Jove Dodonæo petivissent, de victoria seiscitantes, legatiquæ illud, in quo inerant sortes, collocavissent: simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortes ipsas, et cetera, quæ erant ad sortem parata, disturbavit, et aliud alio dissipavit. Tum ea, quæ præposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedæmoniis esse, non de victoria cogitandum.

XXXV. Quid? bello Punico secundo, nonne C. Flaminius, consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipublicæ? qui, exercitu lastrato, quum Arretium versus castra movisset, et contra Hannibalem legiones duceret; et ipse, et equus ejus ante signum Jovis Statoris sine causa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret prælium. Idem quum tripudio auspicaretur, pullarius diem prælii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quasivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Quum ille quiescendum respondisset, Flaminius: